

## 379.

*Erzbischof Christian von Mainz beurkundet, daß Landgraf Ludwig und seine Nachfolger in die Gemeinschaft der Klosterbrüder von St. Stephan zu Mainz aufgenommen werden sollen.* 1171.

*Hdschr.: Or. Perg. Haus-, Hof- und Staatsarchiv Darmstadt.*

*Gedr.: Thur. sacra 90. Böhmer-Will, Mainzer Regesten XXXI, 84.*

5

:In nomine sancte et individue trinitatis. Cristianus divina favente clemencia Maguntine sedis archiepiscopus: | Speculatio pontificalis officii et dignitatis, ad quam nos divina vocavit dignatio, expostulat, ut plenam inter opera lucis et tenebrarum discrecionem habeamus et quid, | a quo et qualiter agatur, perpendentes opera pietate et iusticia irradiata auctoritate scripti nostri memorie commendemus, ut posteritas inveniat, quod digne 10 laudare et imitari | debeat. Noverint igitur universi Christi fideles tam futuri quam presentes, qualiter quidam princeps nobilitate preclarus, virtute inolitus, potencia et facultate rerum temporalium magnificus, nomine Ludewicus universalis Turingorum comes ecclesiam beati Stephani in Maguntia, cui filius suus dominus Fridericus nomine et dignitate prepositi presidebat, speciali prerogativa dilectionis amplectebatur et devotionem 15 suam plurimum circa eam fecit clarescere in expediendis et recolligendis eiusdem ecclesie possessionibus, que in principatu suo multis modis erant disperse et impeditae, ita quod vix eo dumtaxat excepto per aliquem possent expediri. Hoc autem agebat principaliter superne retributionis intuitu partimque carnali trahebatur affectu, que inter se quidem non sunt repugnantia, si impendantur equo moderamine et cum temperancia. Fratres 20 autem ecclesie beati Stephani nonnullam inter se et nobiscum habuerunt deliberationem, qualiter eidem principi aliquem specialem honorem deferrent, per quem sibi et ecclesie sue in augmento benivolentie eum obligarent et ad simile opus misericordie alios provocarent. Auctoritate ergo nostra et connivencia in consorcium fraternitatis sue eum receperunt et canonicam unam ei conferentes provida dispensatione unum ex ipsis eum 25 constituerunt. Ut autem caritas caritati occurreret et devotio devotioni responderet, princeps ille pius et catholicus stipendia aliosque proventus canonice sibi collate in opus elemosine pro remedio anime sue, uxoris nec non prolis sue eidem, a qua eam acceperat, contulit ecclesie, ut, quantum exinde fieri posset, monasterium, claustrum et fratrum officine reficerentur pro pioque principis illius desiderio concessimus, ut eo decedente 30 filius suus, qui ei in principatu succederet, et omnes, qui a linea parentele eiusdem descendentes honorem et possessionem principatus illius adipiscerentur, consorcium fraternitatis et canonicam in ecclesia beati Stephani obtinerent, ut fratres in bonis suis perpetuam per eos haberent protectionem et defensionem et de stipendiis canonice illius tecta et ruine ecclesie illius semper, quantum in his esset, possent resarciri. Ut autem hec caritatis 35 opera et dispensatio intuitu utilitatis admissa, rata et inconvulsa permaneat, hanc cartam conscribi et impressione sigilli nostri iussimus insigniri et testes subscribi, quorum nomina hec sunt. Arnoldus maior prepositus. Burchardus prepositus sancti Petri. Fridericus prepositus sancti Stephani. Heinricus decanus de domo. Sigefridus magister scholarum.